

- 15 erroneas sententias et perniciosissimas sectas continue omni qua possunt arte et industria inducendo, que quidem conclusiones, quoniam^c ab omni prorsus veritate aliene fore noscantur, merito debent, antequam errores huiusmodi magis invalescant, reprobati, ut omnes de fide vere scientes illas tamquam frivolas, erroneas et inanes reiiciant et veram viam et eam, quam
- 20 hec sanctissima sedes, que errare non potest, sequitur, amplectantur. Cum igitur ad nos, qui Cristi vices licet immeriti tenemus in terris, spectet huiusmodi conclusiones declarare et, que sunt erronee, reiicere et reprobare, nos, qui omnes conclusiones, quas tales erronei conciliiste proponunt et ut veras ac canonicas affirmant, diligenter vidimus et examinavimus ac illas aperte
- 25 vanas, erroneas et frivolas fore repperimus, idcirco, ut cunctis veritas illucescat et, ne aliquis ignorantiam pretendere possit et illis involvatur, et ut eliminatis erroribus sacra generalia concilia futuris temporibus eo salubrius celebrari possint, desuper debite providere volentes, matura super hoc deliberatione prehabita, auctoritate apostolica et ex certa nostra scientia tenore
- 30 presentium omnes et singulas conclusiones per ipsos, ut prefertur, propositas, quas presentibus, ac si de verbo ad verbum presentibus insererentur, haberi volumus pro sufficienter expressis, tamquam vanas, frivolas, inanes, erroneas et hereticas reprobamus atque damnamus omnesque libellos per eos et quoscumque alios desuper confectos ad eundem sensum tendentes similiter
- 35 tamquam erroneos et hereticos esse et pro talibus ab omnibus censeri et reputari debere, et quia, sicut accepimus, conati sunt prefati inducere aliquas universitates partium illarum ad iurandum servare, manutenere et defendere dictas conclusiones, nos attendentes quod iuramentum iniquitatis vinculum esse non debet, omnes et singulos, qui iuramentum huiusmodi
- 40 prestiterunt, ad illius observationem non teneri scientia et auctoritate predictis decernimus. Et ut premissa omnia et singula ad cunctorum noticiam possint pervenire, dilecto filio Henrico Institoris ordinis fratrum Predicatorum et theologie professori ac per totam Almaniam superiorem heretice pravitatis inquisitori, de cuius fide, doctrina et probitate fidutiam gerimus
- 45 in Domino specialem, auctoritate et scientia predictis committimus et mandamus, ut presentes nostras litteras per omnia, de quibus sibi expediri^d videbitur, loca publicare dictasque conclusiones auctoritate nostra reprobare et damnare et pro reprobatis, damnatis et erroneis omnibus declarare procuret, dantes sibi harum serie plenam, liberam et omnimodam facultatem
- 50 omnia et singula gerendi, faciendi, exequendi et exercendi, que ad errorum huiusmodi totalem extirpationem cognoverit expedire, ac districte preci-

c) quum *ed. Pastor.*d) expedire *ed. Pastor.*